



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiae Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De impaßibilitate in aduersis habenda, & de tribulationis vtilitate. Cap. XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

dicium, ac poenas inferni magis metuunt. Notari ex isto potest, inordinatum timorem venire ex amore sui ipsius, quo unusquisque appetit esse beatus, quamuis ei, qui eum beatum facere potest, sit infidelis. Alia origo scrupulositatis est ex hoc, quod amor eorum ad Deum modicus est: quia parvus amor, parvam causat confidentiam. Et solus amor Dei perducit hominem ad veram spem & confidentiam diuinæ misericordiae, bonitatis, liberalitatis, & gratiae: quam confidentiam nulla virtus, quantumcunque magna appareat, nec vlla poenitentia sine amore Dei potest dare: Nihil autem tam necessarium est volenti ad vitam perfectam peruenire, sicut magna spes & confidentia in Deo. O sancta spes, o beata in Deo confidentia, dummodò non pertrahat aliquem ad incuriam & acediam suae emendationis, sed magis excitet ad digniorem gratitudinem, & ad diligentiam acquirendi perfectius diuinam gratiam & charitatem, atque ad omnem virtutum perfectionem, ad abijciendum omne quod sensuale est, & ad prosequendum quicquid ad sui ipsius mortificationem deseruit, ad sufferendam quoque hilariter omnem aduersitatem: tunc huiusmodi spes sibi valde necessaria est & salutifera. Nam quanto pius sperat, tanto magis gratus est, seipsumque amplius emendat.

Confidentia
in Deum.

De impassibilitate in aduersis habenda, & de tribulationis veritate. Cap. XI.

VNdecima, est perfecta mortificatio omnis inquietudinis & impatientiae cordis in omni exteriori aduersitate, siue sit diffamia, derisio, detractio cum mendacio, aut damnatum rerum temporarium, amicorum & affinium, siue alia qualiscunque persecutio, quae alicui permissione diuina accidere potest. Hic scire debes, quod illi, qui se ad sui ipsius mortificationem dare volunt, saepe à Domino nostro multifarie tribulatione exteriori probantur, an perseverare valeant in suo bono proposito, quemadmodum Angelus dixit ad Tobiam: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio aduersitatis (exterior) probaret te.* In hunc modum etiam Iob probabatur, qui similem sibi non habebat in terra. Nam cum omnia sibi ablata, vxorque sua & amici illi fuissent contrarii, nec non & ab hoste percussus fuisset à planta pedis usque ad verticem, nihilominus permanfit quietus & patiens corde, neque peccauit labijs suis, sed dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sic nomen Domini benedictum.* Si-

Tob. 13.

Iob 1. 20.

Iob 2.

Tet 3. mili-

510
 Matth. 26. 27. militer Christus Iesus post omnem persecutionem Iudeorum, in capi-
 uando, in percutiendo, in illudendo, in falsos testes producendo, in fla-
 gellando, in crucifigendo, quieto corde & amoroso affectu in cruce
 pendens, clamore valido, & abundantibus lachrymis pro suis inimi-
 cis rogabat dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Nec
 poterant illi tot penas & contumelias inferre, quin affectaret multo
 plura pati propter amorem Patris sui, & omnium hominum salutem.
 Omnibus etiam, quos Dominus noster trahere disponit ad supremum
 statum meritorum, multa vult toleranda transmittere. O si sciremus,
 ex quanta charitate afflictionem mittat Dominus noster, quocumq;
 etiam modo veniat, multum eam affectuose petere, & expectare.
 mus, amoreq; suscipere. Nam afflictiones sunt dona charissima,
 quae Deus secretis seu familiaribus amicis suis tribuit ad ornandas ani-
 mas eorum, & perducendas ad veram Dei similitudinem. Quia nun-
 quam tam subtilis imaginum sculporum extitit, qui tanta diligentia ac
 sollicitudine lineamenta imaginis ad exemplaris (secundum quod eam
 formabat) perfectionem trahere elaborauerit, quemadmodum Deus
 omnipotens ab aeterno sua sapientia immensa prauidit atque praordi-
 nauit de secretis amicis suis, quomodo mediantibus huiusmodi affli-
 ctionibus ipsos perduceret ad perfectissimam similitudinem Christi
 Iesu. Propterea dicit Augustinus super Psal. Cum ceperit homo Chri-
 stianus cogitare & disponere, ut perfecte proficiat in virtutibus & sui-
 p-
 sus mortificatione, statim incipit pati linguas aduersantiu. Quicumq;
 illas nondum passus est, nondum profecit. Quicumq; illas non patitur, nec-
 dum conatur proficere. Notandum est autem tres esse patientiae gra-
 dus. Infimus horum est, comperere seipsum a vindicta inferenda ma-
 nibus, vel desideranda corde, quia gradus valde imperfectus est: quia
 saepe ibi remanet cor amaricatum, de quo consurgunt murmuratioes,
 susurratioes, detractiones, inuidia, suspiciones malae, & similia. Ista
 sunt signa immortificati cordis atque inordinati amoris ad seipsum:
 quia omnis inordinata anxietas, tristitia, & inquietudo, ex inordina-
 to oritur amore. Propterea dicit Gregorius. Qui aequanimiter aliena
 mala & persecutionem non tolerat, ipsi sibi per impatientiam testis est,
 quia a boni plenitudine, id est, virtutum & gratiarum perfectione lon-
 ge distat. Medius gradus est, cum aliquis non solum manus & deside-
 ria a vindicta cohibet, verum etiam cor suum purificat & mundat ab
 omni amaritudine & inuidia. Et quamuis desideranter non patiatur,
 tamen

Aduersitas
 donu Dei.
 Gradus pa-
 cientiae.

tamen tolerat, humiliter recognoscendo se dignum illud (imò etiam multò plura) pati, & paulatim percipiens vbertatem gratiæ, quæ per hoc acquiritur, voluntatè suam parat ad patienter sufferendam omnè futuram aduersitatem: & hoc modo incipit sibi ipsa tolerantia fieri valde meritoria. Supremus gradus est patientia affectionis, quæ vt cõformis efficiatur Dominicæ passiõis, & omnibus, quæ in ipsa contigerunt, omne contrarium, quod sibi obuiare potest, cum magno desiderio suscipit, & plura semper pati desiderat, dicendo cum Dauid: *Improprium expectauit* (scilicet cum desiderio) *cor meum, & miseriam.* Et istiusmodi homines sentiunt magnam abundantiam amoris Dei & dulcedinis, quæ ex ipsa tolerantia exprimitur, fluens per omnes vires animæ, per quam in tantum inebriantur in Deo, vt nullum videantur externum conuictum, damnum, vel poenam sentire. Nam omnè persecutionem, quam patiuntur, reputant pro adiutorio veniendi ad dilectum; & omnes persecutores diligunt, tanquam veros adiutores ad vitam æternam. O felix anima, quæ ad istud peruenit, quia æternaliter in brachijs Iesu Christi requiescet.

De perfecta propriæ voluntatis abnegatione, atque de obedientia gradibus. Cap. XII.

Dodecima est perfecta mortificatio omnis propriæ voluntatis in totali volũtaria resignatione, ad omnem internam derelictionem sufferendam propter amorem Dei. Notandum quòd nobilissimũ eorum, quæ Deus homini contulit, est liberum arbitrium, per quod solum peccata committit, aut virtutes perficit. Et ideo nihil homini tã nociuũ est, q̃ perfrui sua vitiata propriæ volũtate. Nam ipsa est quasi fundamentum, super quod omnis inordinatio peccatorũ congregatur & quiescit: sed si euerterimus hoc fundamentũ, corruent omnes *muri* Tericho, id est, omnis vitiose affectionis. Attamen istud non sic intelligas, quasi necessarium sit homini obedientiam vouere, vt ad perfectionẽ valeat peruenire: sed sicut supra dictum est de voluntaria paupertate, sic etiam hic dico, quia illis necessarium est sub obedientia stare, qui exercitari ab alijs indigent, vt ad perfectionẽ perueniant, eò quod seipos non bene valeant vincere & mori, propter modicũ amorem Dei & tractum, quem in se debilem adhuc sentiunt, & magnum tractum immortificationis & ireresignationis, quẽ adhuc habet. Itaque quando huiusmodi homo bonæ voluntatis est, necesse est vt ad obedi-

Liberi arbitrii nobilitas.

Voluntas propria.

Iosue 6.

Obedientia quibus necessaria.